

reliquarum in ditione Praesidem, & Inspectorem ordinarium, constituit. Vita Foersteri huius extat in Adami vitis Theologorum p. m. 146. & hinc in Lexico vniuersali Buddeano P. II. p. 141. Epitaphium (mortuus est VVittebergae A. 1556. d. 8. Dec. aet. 61.) legitur in Sennerti Inscript. VVitteb. L. I. p. 226., & de opera, ab Ipso Zvickauensi iuuentuti nauata, egi in P. III. Hist. schol. p. 151. Cum Foerstero autem Iuniore, Professore in idem VVittebergae Theologo, sed Antistite tandem Mansfeldico, vti confusus fuerit, exposuit Dn. Mollerus in Homonymoscopia p. 674. 675.

M. Mauritius Caroli, Rector Eisfeldae per novem annos, & ab A. 1544. Schleusingae Pastor, a Luthero ipso VVittebergae ordinatus; qui vero anno insequenti primus Meiningensium factus est Pastor Lutheranus, A. 1571. d. 26. Apr. ab hominibus demigravit, Meiningaeq; in Aede parochiali ante Altare in sepulchrum illatus est suum. Natus erat Biberbaci, prope Coburgum, d. 22. Sept. A. 1508., studiisq; Zvickaviae incubuerat, Erfurti, & VVittenbergae.

Vid. Gütthii Poligraphia Meiningensis ad A. 1571., & Meiningense Calendarium Anni 1707., quippe quod Pastores & Superintendentes Meiningenses enumerat describitque.

M. Bartholomaeus Wolffart/ Goettingae prius cum Collega, D. Ioach. Morlino, Superintendente hactenus Arnstadiensi, docuit, post vero Schleusingae Pastor fuit, obiitq; A. 1552.

Vidd. Adami in Vitis Theologorum, in vita nominatim Morlini, p. m. 217., Dn. Treib. l. c. & Chronicon Henneb. Spangenbergii f. 262. ubi Autor, a PRIN-